



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quænam qualitates, sive conditiones requirantur, ut alicui
commendari possit Ecclesia Parochialis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Eadem quidem qualitates requiri, quæ superiore §. referebantur ex *c. cum in cunctis* patet, ita tamen, ut circa quædam sit aliqua diversitas. Sic ad beneficia, quæ curam animarum annexam habent, nemo assumendus dicitur, nisi 25. ætatis annum attingerit saltem, & ordinem sacrum ad beneficium tale requisitum saltem intra annum suscipiat, prout infra in *tit. 14.* dicitur: ad beneficium tamen parochiale ita hæc ætas requiritur, ut si alicui eam non habenti, quamvis ad ordinem presbyteratûs dispensatus sit, beneficium parochiale conferatur, collatio nulla sit, ut colligitur ex relato *c. cum in cunctis* §. inferiora, & constat ex *c. si eo tempore de rescript. in 6.* & ex *c. licet Canon 14. h. 1. in 1.* Nisi accessoriè tantùm unita esset Ecclesia parochialis dignitati alicui, aut Canonici, quo in casu eadem ætas sufficit ad Parochialem accessoriè unitam, quæ requiritur ad beneficium principale.

§. III.

Quenam qualitates sive conditiones requirantur, ut alicui commendari possit Ecclesia Parochialis?

Si perpetuò alicui in commendam datur Ecclesia Parochialis, cum talis perpetua commenda æquiparetur beneficio, & vim ac effectum habeat tituli, quamvis de jure Canonico nulla illius habeatur notitia, quia tamen usu & consuetudine introducta est, easdem etiam qualitates de se requirere videntur, quæ requiruntur in beneficiato Ecclesiæ illius: si verò in commendam tantùm temporalem Ecclesia alicui committatur, ut

curam illius habeat, dum idoneus Rector instituat, debet is esse actu Sacerdos: sicuti autem perpetua commenda conferri non potest, nisi à Pontifice, ita talis temporalis (ordinariè ad sex menses) commenda conferri alicui ab Episcopo potest de jure antiquo, de jure verò *Tridentini sess. 24. c. 18. de reform.* non tam commendatarius temporalis, quàm vicarius institui debet, cui Ecclesiæ talis cura incumbet, & congrua portio ex redditibus Ecclesiæ detur.

§. IV.

De illis, qui eligi prohibentur ad Prælaturas & dignitates Ecclesiasticas.

Generatim loquendo impediuntur aliqui ad Prælaturas Ecclesiasticas ob impedimentum naturale, aliqui ob crimen, seu defectum morum; alii ob aliud impedimentum Canonicum. Naturâ ineligibleibiles sunt furiosi vel fatui *argu. c. venerabilem 34. h. 1.* vel qui vitio corporis laborant, ob quod suo munere, honestè, & decenter fungi non possunt; vel qui illegitimè nati sunt; aut requisitam ætatem nondum obtinuerunt, cum valdè periculosum sit, præponere regimini aliorum, qui non noverunt gubernare se ipsos *c. indecorum 3. de ætate & qualitate.*

Ob crimen, & defectum morum eligi prohibentur, qui propter crimina sunt infames (his enim portas dignitatum in damnum Ecclesiæ non patere ex *c. inter dilectos. 11. de Excess. Pralat.* certum est) sive deinde juris sive facti infamiâ laborent, usque dum, si infamiâ juris laborent)